



ELTE BTK
ÓKORTUDOMÁNYI INTÉZET
LATIN TANSZÉK

ARPINÓI NEMZETKÖZI CICERO-
VERSENY
HAZAI VÁLOGATÓJA

<http://abeljeno.elte.hu/arpino/>



Cicero de ioco et facetiis

Suavis autem est et vehementer saepe utilis iocus et facetiae; quae, etiam si alia omnia tradi arte possunt, naturae sunt propria certe neque ullam artem desiderant. In quibus tu longe alii mea sententia, Caesar, excellis; quo magis mihi etiam aut testis esse potes nullam esse artem salis, aut, si qua est, eam tu potissimum nos docere.” „Ego vero” inquit „omni de re facetius puto posse ab homine non inurbano quam de ipsis facetiis disputari. Itaque cum quosdam Graecos inscriptos libros esse vidissem „de ridiculis”, nonnullam in spem veneram posse me ex iis aliquid discere. Inveni autem ridicula et salsa multa Graecorum – nam et Siculi in eo genere et Rhodii et Byzantii et praeter ceteros Attici excellunt –; sed qui eius rei rationem quandam conati sunt artemque tradere, sic insulsi extiterunt, ut nihil aliud eorum nisi ipsa insulsitas rideatur. Quare mihi quidem nullo modo videtur doctrina ista res posse tradi. Etenim cum duo genera sint facetiarum, alterum aequabiliter in omni sermone fusum, alterum peracutum et breve, illa a veteribus superior cavillatio, haec altera dicacitas nominata est. Leve nomen habet utraque res! quippe; leve enim est totum hoc risum movere. Verum tamen, ut dicis, Antoni, multum in causis persaepe lepore et facetiis profici vidi. Sed cum in illo genere perpetuae festivitatis ars non desideretur – natura enim fingit homines et creat imitatores et narratores facetos adiuvante et vultu et voce et ipso genere sermonis – tum vero in hoc altero dicacitatis quid habet ars loci, cum ante illud facete dictum emissum haerere debeat, quam cogitari potuisse videatur? Quid enim hic meus frater ab arte adiuvari potuit, cum a Philippo interrogatus quid latraret, furem se videre respondit?

(De or. 2, 54, 216–220, Kumaniecki)